

C V D

A I G G

T 5 9 6



C. e. 88

Wynke Dyck

01

0

Me

~~2 N. 28.~~

II 2. c. 28

IOAN. CASELII
In Aristotelis de vita & moribus
LIBRORVM INTERPRETA-
TIONEM.

d

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

Ὡς ἰδιογράμων κέλτης ἦν, αὐτὰ βαίνων
Πᾶσι σοφοῖς, δόξας ἀδελέω ψεύδει σπείρων·
Ἐρρέτω, Αουίδεοσι καὶ εἰν αἶδαο ἀπεχθής.
Πάντ' ἀγαθὸς δ' αὖ, καὶ φιλαλήθης ἦν ὁ Μελάγχθων.
Καὶ γὰρ ἐρδνήσας τὰ σοφῶν, ἠγήσατο χ' ἡμῖν
Γλιχομύοις σοφίης καταδείξας ὄρθιον οἶμον,
Ὡ νέει, εἰ φίλον ὑμμι τυχεῖν σοφίης ἐπιτίμα,
Ἐσπόμμοι τὰδ' ἀνδρὶ, πρὸσω μέμνηθε βαδίζην.

Ἰωάννης Λούκιος



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius.

CIO. IO. XCIII.

Sudio praemisimus quaedam in uniuersum de bonis litteris & philosophia partibus, non inuentuti solum, sed & magistris primum ad docendum accedentibus profutura, si audire bonas rationes malint, quam vel prauis immori, vel consuetudinem pertinaciter sequi. Quod si qui habent meliora, eos publica salutis causa obtestamur, ut nobis illa non inuideant. Doceant autem, non conuiciantur: rationes bonas in medium afferant, non nugae friuolas: has morari non debemus, illis cedere & manus dare parati sumus. Idem & alios facere oportet, quotquot se veritatis & publicae utilitatis studiosos profitentur: primum praedicijs depositis, accuratè considerare, quae in medium consulimus: deinde, si recta esse, ut esse opinor, certè ut essent, operam dedimus, deprehendent; ijs & sibi & alijs uti. Qui alio animo sunt, audiant, qui sint, ex Hesiodo: ἐδ' αὖτ', inquit, ἀρετὴν ἀνίη: sententia nimis aequa. Nec enim ipsi solum nulli v sui sunt, sed & priuatim & publice pestilentes.

HELMSTADT
Erhardus Jacobus Lucas
CIC. 10. XCII.



IOAN. CASELII

*In Aristotelis de vita & moribus librorum
interpretationem*

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

QUod hic initio dicam, id ita simplex et planum est, ut in eo mihi omnes assensuros arbitrer: et eiusmodi denique, quod hoc loco, ut per se nemini non notum, vix proponendum videatur. Mihi tamen sic faciendum visum fuit, quoniam vidi tot annos, quod rectum esse et multi iudicarunt, et quiuis facile intelligeret, plerumque secus fieri. Quis enim non videt, tradenda esse in academijs, primum vera, deinde singularia siue eximia, & iccirco neq; puerilia? Vera, quia veritatis officinae sunt, esse profecto debent: singularia, quod vulgare nihil eruditum haberi potest: non puerilia, quod ea accipere passim cuiuis licet. De his agam, quo mihi ordine videbitur. Loquar vero potissimum de bonis litteris, & partibus studij sapientiae: neque tamen non hinc petet, quod ex usu sit, qui se ad aliud disciplinae

plinæ genus conuerterint. Contrà autem, quàm omnes hoc diuinum negotium geri oportere credimus, fieri videmus in nonnullis Germaniæ academijs. Nec id dico querendi, aut reprehendendi gratia: non nescius querela muliebri negotium nullum iuuari, et ipse toto vitæ tempore detestatus maledicentiam: sed vt, si qui hæc legant, & probent, siue officij ratione, quod gerunt, siue auctoritate publica, quædam corrigant. Videmus autem passim introduci improbum prorsusque falsum doctrinæ genus: & vix partem aliquam studij sapientiæ relictam, quam nouatores isti non contaminarint: quorum cum sit incredibilis inscitia, non minor est arrogantia: quin eo vsq; iam progressi videntur, vt nisi sensus, & vno ore omnes homines reclamarent, ipsa quoq; mathemata conuellerent: in quibus tamen ipsi, vt tyranni disciplinarum omnium, ordinem & modum audent præscribere, vt scilicet è manibus discentium extorqueant artificum monumenta, & qui minimum intelligunt, soli sapere videantur. Tam arrogantibus sophistis Euclides & Archimedes, quiq; hos æmulati ab illis felicibus seculis fuerunt, pro
tironi-

tironibus sunt. Nam Platonem & Aristotelem,
& horum acutissimos interpretes, & diuinum
exercitum eximiorum hominum, qui summo
studio, recteque philosophati sunt, nec aliud præ-
terea quidquam attigerunt & cogitarunt, quàm
veritatem, extremæ inscitiae condemnant præ-
clari areopagitæ, & regnum sapientiæ assignant
adolescentulis, nec solum ingeniosis, quos falsis
noxisque opinionibus fascinarint, sed & alijs di-
storti sæpe ingenij, interdum nullius, sed auda-
cibus, & verbis semper, atque non tacendo, nun-
quam modestia & ratione pugnantibus, ut pri-
mum Latinum sermonem secundum regulas
grammaticorum, arbitrato suo cum perpetua
balbutie garrire cæperint. De Græco enim ijs
nihil curæ est, nisi ita fortè, ut pauculas dictiones
& dicta item paucula arripiant, è quibus Atticos
se esse credunt, idemque gregi suo, & vulgo per-
suadent. Namque Græcum scriptorem lectione
haud dignentur, consideratione vero minimè.
Non possum facere, quin hoc quoque dicam: eò
iam deuenturum socordia, ut qui bonarum
partium esse student, vix aliquando eum Musæ-
rum sermonem, aut non nisi cortice tenuis, si ita
lib

loqui licet, discant: perrarò ex ea nuce nucleum
petant. Id quemadmodum fiat, me non fugit:
ac doleo sæpe, multos, qui belle cæpissent, ce-
ptum stultè repudiare: ac proinde alios confir-
mare, alios in viam reuocare soleo. Verum ad
hosce nobiles, sed personatos, siue præcoquos
sapientes redeo: nec Latinos quidè ipsi scripto-
res legunt, nec à suis legi patiuntur: nec hos eti-
am dignos iudicant, quibus temporis mini-
mum tribuatur, vel ob linguæ puritatem, vel ob
eloquentiam, vel ob scientiã rerum, vel ob præ-
cepta vitæ salubria: quibus singulis inuitare pri-
mam ætatem probi magistri ad voluenda vete-
rum monumenta debent, quæ sapientes etiam
de manibus nunquam deponenda iudicant. At
illi pueros balbutientes, non ad dicendum & ad
disputandũ (quĩ enim? cum eos nec intelligere
nec fari docuerint, quæ nec tenella ætas discere
potuerit, nec illi docere possint, quæ scilicet non
didicerint, nec aliquando degustarint.) sed ad
gariendum præcipitanter, & contendendum
acriter assuefaciant. Eò enim spectant, quæ ab
ipsis non solum manca, & confusa, sed falsa
etiam plæraque & absurda, de artibus dicen-
di &

di & disputandi, deque rebus naturalibus,
quanta cum dici non potest impudentia, tra-
dunt. Id demonstratum est à pluribus viris be-
nè doctis, veritatis cultoribus, & assertoribus,
quibus necesse fuit in hanc arenam descendere.
Cæteri enim indignos rectè iudicant, qui tam
inquinatas falsarum & absurdarum opinionum
fordibus, chartas in manus sumant, et cum il-
lis hominibus verbum commutent, ne rerum
preciosissime iacturam faciant. Ita enim de tem-
pore Theophrastus, vir sapientissimus, pro-
nunciauit. Ego quoque, qui se præcipites in id
inscitiae barathrum dederunt, vbi, vt in campo
Elysio, vitam suauiter, non in nihil sapiendo, vt
Græcus poeta in tragœdia loquitur, sed in desi-
piendo, transigant, missos facio lubens. Nec
enim à quiquā erudiri velint, nec ipsi me, quod
scire sit operæ precium, docere valeant. Vos au-
tem adolescentes, mihi hac in re, & viris doctis
credite, id esse discantis officium rati. Namq;
ista ætate & modico profectu, nec rationes acci-
pere potestis omnes, nec eas ex doctioribus sci-
scitari. Nec enim hoc nullius artis est, etiamsi
illud sit eximia. Audiet me, si quis sit vere-
cun-

cundior: sed acrior fortè: quid hoc? inquiet,
quid est, quod tibi postules, illis credi vetes?
In alios nihil dicam acerbius, pro me loquar.
Velim igitur scias, primum, in litteris me tiro-
nem haud esse: qui triginta annos in hisce regijs
scholis et rectè et fideliter docuerim: cum et an-
tè doctrina celeberrimos quosq;, nec breui tem-
pore, nec obiter audissem: nec post vnquam de-
flexerim à venerandæ antiquitatis vestigijs. Id si
cui parum videtur, apud eum, neque auctoritas
valet, neq; ratio. Illam discentes parui facere
non debent: ex qua etiam originem traxit ser-
monis laudata inhibitio apud primi nominis
philosophum: discere prius, idq; iusto tempore,
auditores iubebat Samius ille, quàm ad dicen-
dum, disputandum, docendum, agendum ac-
cederent. Ipse etiam Stagirita, qui in multis à
doctore suo deinde discessit, studio veritatis, e-
um antè tacitus ad annos viginti audierat. De-
niq; qui arti studet, cuiusmodi ea sit, imperata i-
nitio facit sine contumacia, nec super ijs aduer-
sus magistrum disputat, nec ausit. Hoc quan-
to magis in nostro ordine iuventutem sequi o-
portet, si rectè sibi consultum velint? Sed iam
tempus

tempus est, vt ab his pestilentibus ad alios transf-
eam, quos parum vtilis assero, quando non nisi
puerilia decantant, aut de lacunis fœculentas
admodum doctrinas propinant auditoribus:
etsi hoc mirari non oportet, cum ipsi pleniores
& limpidas de perenni fonte non hauserint: ac
præterea exemplis plurium nitantur: deniq; se
exsequi contendant, quod in se receperint, &
alicubi conuincant. In hac vero consideratio-
ne, publici boni causa instituta, non spectan-
dum censeo, quid vsu receptum & legibus con-
stitutum sit: sed quid omnino faciendum, ne
qui discendi causa ad nos veniunt, cum iactura
impensæ, laborum, & ætatis, inanes mercium,
aut cum ijs, vel adulterinis, vel nimis vilibus,
domum redeant. Quod si olim animaduertant,
iustam querendi causam nacti, & academijs
non temerè maledicant & doctoribus: quando
non ij erunt, qui voluerint, nec sibi, nec suis,
nec patriæ præsidio esse possint, quod ab ipsis fu-
isset expectatum. Quod igitur attinet ad pue-
rilia; dabimus, in ijs esse necessaria permulta,
quibus omissis aditus ad sequentia non detur:
sed ea quantula quantæue esse censeantur, huius

28. jib

B

loci

loci non sunt, ac ferrè secum adolèscèntes ele-
menta omninò debent. Aio præterea, non esse
ex dignitate academiarum, magistros tam pue-
rilium, quæ in ludis litterarijs, vel domi paternæ
doceri oportet. Sed adveniunt eorum etiam
prorsus nescij. Malè fanè initiati: nec ijstamen
non posse consuli existimem. Aut pædagogos
alant, si in re lauta sint, aut adèant lectores ex-
traordinarios, quorum multa manus est in aca-
demijs. Hoc etiam nouitij magistri rectius præ-
stare valeant, & faciant potius, quàm audactèr
tractent, quasiq; excarnificent scientias, in quib⁹
nec ipsi satis profecerint. In omni vitæ genere
feliciter geri omnia palàm est, si quisq; in se, cui
ferendo sit, suscipiat. Id autem, si in cæteris mi-
nimè negligitur, hic, vbi omnia videmus miris
obstructa difficultatibus, obseruari magna reli-
gione debet. Indignum etiam iudico, minime-
que ex vsu, quæ compendia nominant, cum
gravi futilium commentariorum mole propo-
ni: quibus inscitia doctoris maius argumentum
non est, nec eiusdem inscitia confirmandæ &
augendæ ratio expeditior. Hanc ipsam tamen
radicem esse mali & calamitatum, Plato prodi-
dit, &

dit, & infitias ire nemo velit. At exempla sunt? at libellos tales optimi de litteris, immo & de nobis meriti, ediderunt? Ad vtrumq; disertè dicam: prius ad hoc. Magnæ debentur gratiæ Melanchthoni, qui infantem Germaniam prima elementa paterna cura fideq; docuit. An vero in beneficentissimum virum cadere potuerit tanta animi peruersitas, vt nos semper in pueris esse voluerit, & tantum eas, quas ille duxit bono studio, lineas contemplari stupidos? Obiurgaret ipse nos, si videret socordiam ac dementiam nostram. Quid enim stultius, quàm quæ ille quoquo modo, sæpè confuse inter tot occupationes notasset, in ordinem non disponere? quæ falsa, non emendare? quæ dubia, non explanare? quæ superuanea, non recidere? habere deniq; pro oraculis, quæ ille in quacunq; parte doctrinæ, rudi adhuc & vix dum initiato auditori præscripsisset? Quid deinde pigrius, quàm, vbi ille viam digito monstrasset, vestigium præterea non facere, sed consistere, vt stipitem? Suspikor & amicos commoueri hac censura, siue consilio meo. Hoc enim esse malo, nec me censorem profiteor. Rectum est, non curare,

immo interdum flocci facere, quemadmodum
placeas, & gaudere, aut ferre, si immerito tuo
displiceas, modo id agas, vt pro sis, siue illi ipsi,
qui irascitur, siue alijs familiaribus, siue, quod
maius est, publicè, quod profectò mihi, vt
cuiquam, studio est: idq; ego tantopere vrgeo,
vt non solum, si quid errem me reprehendi æquo
animo accepturus, sed etiam, si quis quid rectius
in medium consulat, ei gratiam habiturus sim:
quin etiam falsum me fuisse opinatum, profite-
bor vltro. Huius mei animi hinc quoq; conie-
cturam facite, quod non dissimulo, acrius hæc,
& multò exquisitius indaganda fuisse & expo-
nenda, quàm ego fecerim, aut fortè facere pos-
sim. Dixi, quod mihi quantumq; visum fuit, hac
de re: tamen vni adhuc calumniæ responden-
dum intelligo: si quis ferre nequeat, de viro, de
me quoq; optimè merito, me adeo liberè loqui.
Liberè loquor, & rectè, nec ingratiè. Ipse enim
sic sensit, et suasit, et præcepit idem nobis: adeoq;
non in ipsum hæc dixi, sed ab ipso in meos vsus
accepta in publicos retuli. Nec desino prædica-
re eius beneficia, quibus ille nos, quod in ipso
fuit, ornauit: detestans ingratos, qui pijs illius
viri

viri manibus maledicendi finem non faci-
unt: cum tamen vir ille humanitatis, mode-
rationis animi, viuendi sanctimonix, studij
tranquillitatis & veritatis exemplum nobis re-
liquerit, quod rectè tutoque imitemur. Ha-
ctenus igitur, nec cuiusquam hominum in-
sectandi gratia, nihil acerbè, sed verè dixi o-
mnia, de bonarum litterarum potissimum
& studij sapientix veritate tuenda. Nam-
que hæc muneris, nobis crediti, altera pars
est. Sunt enim illius duæ omnino partes, cul-
tura ingenij ad veritatem, & informatio ani-
mi ad officium, ambæ pari diligentia & fide
à quilibet nostrum tractandæ, neutiquam se-
parandæ, atque ita coniungendæ, vt qua omni-
ratione prior potest, alteri seruiat. Nec
etiam aut illius absque hac esse magnum de-
cus, aut huius absque illa aliquam perfectio-
nem, putandum est. Eum locum hic
illustrarem potissimum, nisi hæc satis multa
præmissem, quæ vos etiam intelligere, ve-
stra maximè interest, vt rectam discendi
viam ingressi, ad solidam & salutarem erudi-
tionem aspiretis. Porro, cum, quæ modo, ex-
posui,

posui, recta esse iudicari, ex quo tempore iu-
uentutem docui, idem consilium semper ipse
quoque secutus fui, & amicis auctor exstiti, ut ve-
ris rationibus & cum primis illustrium acade-
miarum exemplis eruditi, idem facerent: quod
utinam omnibus persuaderi possit. Nec tamen
dubito, id & alios omni studio acturos: ipse
quod feci hactenus, sine ambitione deinceps fa-
ciam. Explicanda autem mihi sumpsit, & olim
in academia Megapolitana, & paucis abhinc
annis in hac Iulia, nec falsa, nec friuola, sed le-
ctissima, quæque ex veterum monumentis, qui-
bus animos, mores, vitam & orationem iuuen-
tutis informarem. Etsi causam dico, quod
cuique licet, & honoris sui studiosi faciunt, ut hoc
vberius exponere, mihi liceat: tamen id non fa-
ciam, ne arrogantiam quis interpretetur pro in-
nocentia. Nec deerunt tamen, qui pro me lo-
quantur, meæ curæ, laborumque testes locuple-
tes, omni exceptione maiores: nec vero non, si
quis acriter postulet, aut curiosè sciscitetur, aut
amicè interroget, rationem reddere gesti mun-
eris, paratus sum. Nec initiò ignoravi, quæ par-
tes essent eius, qui civilem disciplinam, à Græcis
politi-

politice appellatam, profiteretur: & quas dico
partes, à prima potestate mihi demandatas, non
solum, tam domi meæ, quàm publicè docendo,
sed etiam tum scribendo, tum & familiares, &
non satis familiares, si daretur occasio, monen-
do & obtestando, explere studui. Delegi scri-
ptores, qui ad institutum facerent plurimum.
Iudico autem maximè idoneum poëtam Græ-
cum, ex quo erudiatur iuuentus ad virtutem &
ad eloquentiam: ex quo informetur vir bonus,
civis iustus, senator prudens & disertus, princeps
sapientis, fortis imperator. Nec enim solum de
facultate dicendi verum est, sed & de omni vir-
tute, quod scripsit Dion Chrysostomus: Home-
rum & primum, & medium esse, & vltimum,
ex quo & adolescens, & vir, & senex, tantum sibi
quisq; hauriat, quantum desideret, & omnino
capere possit: primum videlicet, quòd ad intel-
ligendam vitam mortalium: id est principiū ei,
qui aliquid maius cogitet: deinde, quòd ad vi-
tam rectè instituendam: hoc secundum, & ho-
mini priuato satis, & crepido præterea ad rempu-
blicam adituro: deniq; quod ad imperandum,
procurandaq; commoda mortalium: hoc terti-
um &

um & summum: omnia illa & expetenda, & singulari studio quærenda, & vtraque manu tenenda in perpetuum: quartum appendix est, & minimum, & colendum tamen, benè dicendi studium, vt necessarium instrumentū politicæ disciplinæ. Eum ego non solum vniuersæ Græciæ, sed & plurimarum gentium magistrum tot sæculis, in hunc finem, remotis dextra ingenij spinis omnibus, & rosis affatim conspersis rore sapientiæ, interpretarer, nisi ferè prorsus iaceret Græcus sermo: quem si excitare iterum poterimus, in quo apud paucos hæctenus proficimus, veterem explicandi poetæ rationem, à summis etiam philosophis vsurpatam, & ex ipsorum monumentis cura mea erutam, in lucem reuocabo. Interea huius artis specimen edam, cum mihi videbitur, (quod extraordinaria opera à me & antè non rarò præstitum fuit,) vt pauci Græcæ linguæ amatores ex hac nostra manu ductione, cuiusmodi & quàm vberes impensæ diligentia fructus peti possint, videant. Qui eo vsq; non peruenirent, eos temporis laborumq; pænitere sæpè comperi. Nunc verò, postquam proximis mensibus de dinotione, & emendatione

tione affectuum inculcaui sedulo, quæ ex usu
nostro iudicarem, omnia; pleniores doctrinas
de vita & moribus ex principe philosophorum
studiosæ iuventuti proponam. Neq; enim ipsæ
à quoquam traditæ fuerunt verius & perfectius,
quod res ipsa vos docebit. Libros enim de offi-
cijs M. Tullij perutiles esse cultori virtutis, quis
neget? quos tamen qui rectè interpretari velit,
cum alia emendare, alia adijcere oportet.
Quàm multa enim, & valdè necessaria deside-
rentur, & rebus, sibi que inter se, minus consenta-
nea dicantur; docti homines intelligunt, & vos
tum demum intelligetis, vbi in philosophia pe-
ripatetica aliquem progressum feceritis. Quan-
tam verò maximam, non dico posthabitis alijs,
sed præ cæteris omnibus, huic disciplinæ ope-
ram dabit. Nemo enim sine hac solidos fru-
ctus perceperit ex reliquis. Id à vobis non ita
velim accipi, quasi bonorum omnium siue po-
tissimorum compotem factum censeam, qui
hosce libros à capite ad calcem legerit, omnes
sententias enodarit & intelligat, ipsas item do-
ctrinas, ipsaq; adeo verba, memoria teneat, & in
numerato habeat, deniq; disputando vel primis
C philo-

philosophis par esse iudicetur. Sanè hæc qui præstet omnia, magnam sui etiam apud me admirationem concitabit: neq; dum tamen is erit, de quo hic loquor. Dico autem, ita studiosum huius doctrinæ, vt aliqua rectè intelligat, inuestigationi veritatis insistat: vbi mentem à falsis opinionibus expurgarit, animum ab imperio affectuum vindicarit; cum ipsum animum ad rectè agendum conformet, cum cura perpetua virtuti studeat, donec virtutum omnium radices egerit, & huius spatij, quod maturè vos decet ingredi, cursum omni vita teneat. Cum hac tali disciplina, id est cum intelligentia perpetuoq; vsu virtutis, cæterarum disciplinarum, quamcunq; vnusquisq; feliciter colet: absq; ea si sit, cæterarum nulla aliquid certi pollicetur: nec vlla cæterarum omnium, quin cultoris sui, vel saluti minus commodet, vel ipsum etiam aliquando euertat. Contra hæc, quasi omnium & natura prima & dignitate princeps, vel sola sui cultoris rationes & salutem stabilierit: si quidem vita hominum consilijs regitur, quibus denique abundat omnino, qui hoc studium in tempore captum, de die in diem, non mensem
vnum

vnum atque alterum, sed aliquot annos vrget,
idq; sine intermissione cum omni contentione
animi. Nec enim repentè hoc tantum bonum
acquiritur, nec partum, nisi assidua cura, & per-
petuo vfu, fideliter custoditur, quo etiam modo
augetur mirificè. Hoc ita determinatum à Deo
est, vt quemadmodum, nisi qui agrum verterit,
vt leges rei rusticæ iubent, & bonam sementem
fecerit, nemo copiosam segetem demetit, ita,
nisi quis in vitæ instituto, ea, quæ dixi, vt dixi,
sequatur, nemo animi quietem, & felicitatem,
& sibi, & alijs comparet. Nec vero etiam spe
sua ille frustrabitur, nisi aut ipsum beatæ vitæ
auctorem non agnoscat, aut se in eo esse simu-
let, quod ex animo non agat. Nec enim quidquã
magis est consentaneum, quàm & hominem
impium, & minimè integrum, quem scopum
sibi proposuisset, non contingere, & contra de-
mergi in miserias, quarum vel primæ sunt, etsi
non perinde in oculos incurrunt & populi cen-
suram, ipsa animi perpetua fluctuatio, & dete-
stabilis impietas. Cæterum, etsi ad virtutis ade-
ptionem ante omnia indole opus est, & secun-
do loco adsuefactione ad rectè agendum, vt vl-

longo

C2

timo



timo doctrina censeatur: ne quis tamen iccirco
eius esse vim parvam existimet. Non solum e-
nim priora illa, quorum neutrum in potestate
nostra fuisse videtur, quòd natura in vniuersum
à Deo, prima institutio à parentibus ferè est, o-
mnibus numeris perficit, sed etiam ingenij pra-
uitatem sæpè corrigit, & quod in disciplina o-
missum fuerat, refarcit, si eam doctrinam vestra
ætate audiatis, cuius nos etiam copiam parare
in quadam ad Antigonom epistola iubet Zeno.
Sic etiam putate: qui maximè in officio est, &
de alijs maximè mereri cogitat, ei doctrina sem-
per opus esse vberrima: quòd hæc consilij co-
pia, siue fons est. Nunc vbi de me pauca dix-
ero, finem faciam. Ita igitur hosce de doctri-
na & moribus libros interpretabor, non vt con-
fecter minuta, nec vt relinquam necessaria:
quorum illud otiosorum est, nec finem intelli-
gentium, hoc à scopo penitus aberrantium.
Quia verò nihil ferè hîc est, quin ad agendum,
vel ad iudicandum, sit necessarium; lentius for-
tasse procedemus: nec erit aliquid magis ex vsu
auditoris. Qui enim prima non rectè cogno-
rit, sequentia minus intelliget: qui prima probè
cogno-

cognorit, & in rem fideliter deductus, & ad sermonem philosophi adsuffectus, vel nullo negotio ex doctore cætera audiet, vel non magno ipse eruet. Ita enim auditorem, in vno quoq; genere disciplinæ, magistro operam dare conuenit, vt non semper audiat, sed, vt qui iter monstrata via porrò facit, nec eget ducis, quod ingressus fuerit spacium, alacriter ipse solus conficiat. Si quis, vt fit, hæreat, habet quos legat, quos audiat. Etenim illi ad manus sunt, & nos faciles erimus, si quid quæretis. Qui diuersum sequentur, ad metam fortè numquam peruenient. Verè autem studioso curæ erit, vt quæ bono consilio cæperit, non temerè abijciat, sed alacri studio perficiat: neminem talis diligentia vniquam pænituit. Valete. Helmaestadij in ac. Iul. idib. Iun. cio. io. XCIII.



Auditoribus hodie.

Libros de vita & moribus philosophiæ peripateticæ principis hodiè explicare incipiam: de quo meo consilio egi nonnihil in programmate, quod prope diem legetis: eodem & alia, nec aliena, vobis vtilia, fui persecutus. Ferat autem quisq; ingenium, sciendi si-

di sitim, & quæ huic comitari solet, atq; illud acuit, diligentiam: sed discendi amorem & studium definimus constantia. Sunt enim, qui calidè negotium aliquod aggressi, id statim vel remittunt, vel omninò abijciunt: cui malo iuuentus potissimum obnoxia dicitur: sed, vt ipse opinor, pleriq; auidi sunt nouitatis, ac propterea facilè, quæ vix degustarint, fastidiunt. Mores autem vulgi nos iccirco discimus, non solum vt plebem tractare valeamus, quod oratores agunt, sed multo magis, vt eos vitemus, qui improbi sunt: at, qui sint, iudicare non adeò difficile est. Qui igitur vestrum vident, quod studium in manibus habemus, ad verum humanæ vitæ cultum, ad quod quis se vitæ genus conuerterit, esse pernecessarium, fructus item ferre & vnicuiq; & vniuersis maximos & primos; (qui quanti sint & initio audietis, & non ita multò post re ipsa sentietis) in eo perseuerent, quoad & ipsi sibi vitæ duces esse, & alijs, quæ ad eam ducit, viam monstrare poterunt. Hæc enim natura coherent. Nec aliter fieri posse, nisi vt qui rectum iter ingressus sit, non nullos eodem ducat aut inuitet: cui hoc curæ non sit, eum adhuc in lubrico hæere, existimem. Sed hoc grauius, quàm vt hic explicetur. Nihil vero etiam malim, quàm auditores aliquam Græcæ linguæ notitiã adferre secum, & Aristotelem natiuum habere in manibus. Quod ad sermonem; vix aliquis sit ad intelligendum facilior.. Nemo enim eo magis propriè, magis perspicuè, nemo luculentius loquitur, vt non solum de ratione rectè scribendi omnium optimè præcepisse, sed etiam perspicuæ & laudatissimæ scriptiois exemplum reliquisse videatur: in quo mihi assensuros spero, quotquot aliquid temporis in rebus pernoscendis, præeunte idoneo interprete, intentis ingenij neruis, posuerint. Hoc quidem igitur primum, meo iudicio. Tantum autem abest, vt hinc, qui Græcè nesciunt, deterream, vt eos potius animandos mihi & diligentius iuandos putem:

tem:


tem: quod profectò faciam. Utatur quis qua volet ex interpretationibus, siue veteri, siue Argyropyli, siue Perionij, siue Lambini, siue Camerarij, siue Victorij: etsi hæ inter se, vt aliquando ostendemus, mirificè discrepant. Ita in enodanda philosophi sententia me geram, vt neminem sine fructu abiturum sperem, qui discendi gratia accesserit. Fructum autem non scientia, sed actione terminabitis. Eadem etiam hic, quæ in re medica ratio valet. Magnum quiddam scire, in quibus vertatur sanitas: sed alterum, benè firmiterq; valere, id solum, potissimum certè, operæ precium est. καλὸν μὲν εἶναι, vt ipse ad Eudemum scribit, καὶ τὸ γινώσκειν ἕκαστον τῶν καλῶν· ἔτι μὲν ἀλλὰ καὶ περὶ ἀρετῆς, ἔτι τὸ εἰδέναι τιμωτάτην τί ἐστίν, ἀλλὰ τὸ γινώσκειν οὐκ ἴστων ἐστίν. ἔτι γὰρ εἰδέναι βεβλόμεθα τί ἐστίν ἀνδρία, ἀλλ' εἶναι ἀνδρεῖοι· ἔτι τί ἐστὶ δικαιοσύνη, ἀλλ' εἶναι δίκαιοι· καθάπερ καὶ ὑγιαίνον μᾶλλον, ἢ γινώσκειν τί ἐστὶ τὸ ὑγιαίνειν· καὶ εὖ ἔχειν τὴν ἔξιν μᾶλλον, ἢ γινώσκειν τί ἐστὶ τὸ εὖ ἔχειν. Verum idem decantabitur sæpius, nec sine causa, quod nunquam obliuisci in hoc spacio oportet.




154299

X 220 3730

Sb.





IOAN. CASELII
In Aristotelis de vita & moribus
LIBRORVM INTERPRETA-
TIONEM.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

Ὡς ἰδιογνώμων κέλτης ἦν, αἰτία βαίνων
Πᾶσι σοφοῖς, δόξας ἀδελέω ψεύδει σπείρων·
Ἐρρέτω, Αοίδεοσι καὶ εἰν αἶδαο ἀπεχθής.
Πάντ' ἀγαθὸς δ' αὖ, καὶ φιλαλήθης ἦν ὁ μελάγχθων.
Καὶ γὰρ ἐρδνήσας τὰ σοφῶν, ἠγήσατο χ' ἡμῖν
Γλιχομύοις σοφίης καταδείξας ὄρθιον οἶμον,
Ὡ νέει, εἰ φίλον ὑμμι τυχεῖν σοφίης ἐρτίμα,
Ἐσπόμμοι τὰ δ' αἰσθρι, πρὸσω μέμνησθε βασιζέην.

Ἰωάννης Λούκιος



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius.
CIC. IC. XCIII.